



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Licinii fuga & incantationes. Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

sæpe cum tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterat, & vexilli hastile, tela missa exceperit. Atque istud omnem plane superat admiratione, tum quòd tela ab hostibus iacta sic intra exiguũ illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa hærescerent: tum quod ille, qui illud ipsum gestabat mortem effugeret: Imò vero vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incommodive aliquando acciperent. Neq; certè hæc nostra est oratio, sed ipsius imperatoris, qui præter alias res, hanc etiam nobis coram memorauit. Qui vbi diuina potentia has duas primas victorias fuisset adeptus, de cetero, exercitu ordine instructo, vltèrius processit.

*Confluctationes varia, & constantini victoria.*

CAP. X.

QVI autem contrariarum partium erant, quiq; primũ dimicare cæperant, cum illius impetum abiectis armis, manu sustinere non possunt, ad pedes imperatoris acciderunt. Iste vtpote ex hominibus conseruandis voluptatem capiens, omnes excepit incolumes. At alii qui in armis se tenuerunt prælio instare. Quos primũ imperator benigne & humanitus, ad amicitia iungendam imitauit: Sed vbi, minimè obsequetes intelligebat, in eos dimisit exercitũ. Illi statim terga dâtes, in fugã vertuntur. Ex quibus deinde alii capti, iure belli interfecti sunt: nonnulli, alius in alium, ruentes, suorum gladiis decubuerunt.

*Licinii fuga & incantationes.*

CAP. XI

POST hæc, qui hisce rebus principium dederat, cum videret se famulorum auxiliis orbatum, & exercitum, quem collegerat, profligatum, ac sociorum copias deletas, & spẽ in illis, quos ipse deos putabat, nihil posse ipsa iam experientia manifestò conuictam, tum se turpissimæ fugæ mandauit: Sicq; euasit incolumis, atque adeo extra vitæ periculum propterea fuit, quod pius imperator suis mandasset, ne omnino eum persequerentur, vt fugiendo salutem prospiceret, spes enim in eius infidebat animo, illum cum persentisceret, in quas incidisset calamitates, non modo ab infana temeritate desitutum

## EVSEBII DE VITA

desitutum, verum etiam suam mentem ad meliora cogitanda conuersurum. Et quamquam iste singulari humanitatis studio ista instituebat, inducebatq; in animum iniuriam toleranter ferre, & indigno impertire veniam, ille tamen nequiquam ab improbitate se abstinuit: Sed mala malis accumulans, Sceleratiora facinora aggreditur: ac de integro fallacibus & dolosis præstigiatorum institutis, animo confidere cepit. Licebat profecto eandem sententiam de eo, atque de veteri tyranno pronuntiare, quod Deus eius cor plane indurauerat.

*Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victor extiterit. CAP. XII.*

**Q**ui cum animum eiusmodi obstrinxisset sceleribus, seque in exitii tanquam barathrum detrussisset, Constantinus qui secundò iam bellum necessario gerendum animaduerneret, seruatori suo preces fundendi, tempus vacuum & solutum dicauit: & crucis tabernaculo extra castra etiam longissimè fixo, ibi syncere & pie meditationi se dedens, more veteris illius Dei prophetae, quem extra castra tabernaculum fixisse diuina confirmant oracula, Deum orare cepit. Nonnulli etiã, quos ipse ob fidei & pietatis studium satis spectatos habuit, in idem minus cum eo vnà incumbebant: hocq; etiam alias exequi ei erat in more positum, cum bello cum hoste decertare constitueret. Nam sicut propter securitatè tardior in rebus gerendis fuit, sic dei consilio omnia administrare consultum statuit. Et cum iam vacuo animo attente deo preces adhibebat, semper diuina aliqua visione dignatus fuit, Ac post illud tanquam diuino instinctu impulsus, exiit è tabernaculo, & repente exercitum incitare cepit: mandauitque vt nulla mora interposita, ipsam gladiatorum aciem experirentur. Qui ex improviso hostes adorti, homines cuiusque ætatis conciderunt: atque interdum puncto ferè temporis parta victoria, trophea contra hostes insignia statuerunt.

*Constan-*